



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

IV. Refellitur eorum opinio qui existimant Legatos illos non fuisse conquestos de injuria sedi apostolicæ illata. Legati sedis Romanæ negant Dioscorum in Concilio Chalcedonensi posse sedere, quia ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

fuit in Concilio Chalcedonenſi recenſita fuit à Paſchafino Legato: *ὁδὸς τῶν ἑπιτολιῶν ἀναγιγνωσκόμεναι συνερχόμεναι τῆ μακαριωτάτης Παναγιώτου.*

III. Quare, ut antea dixi, nullum locum occupare poterant Legati de quorum legatione nondum constabat in ſynodo. Vnde factum ut neque etiam in conſeſſum Episcoporum admitti voluerint. Quod non ſolum diſertè docuit Liberatus, ſed patet etiam evidentiffimè ex Actis Ephefinæ ſynodi. Cum enim in Concilio Chalcedonenſi hæc verba recitarentur, *Reſidentibus Dioſcoro Alexandria, & Iuliano Episcopo agente vices & tenente locum ſanctiſſimi & beatiſſimi Romane Eccleſie Leonis*, Orientales Episcopi reclamaverunt, & mendacij Acta redarguerunt. *Ejectus est*, inquiunt, *nullus ſuſcepit nomen Leonis*. Quid apertius? Expulſum Leonem à ſynodo teſtantur patres, neminèque ejus nomine interfuiſſe. Tentavit quidem Dioſcorus à Iuliano ſuffragium exigere. Sed ipſe atque Hilarius reſponderunt ante omnia legendam epiſtolam Leonis. Tunc Eutycheſ Legatos ſibi ſuſpectos eſſe proteſtatus, quòd à Flaviano & domo & convivio lautè excepti eſſent. Enimvero licèt pro Legatis non ſe geſſerint, ut ſpectatores adfuerunt, & omnibus quæ in perniciem fidei & canonum acta erant, animosè contradixerunt.

IV. Fruſtra ergo laborant viri docti in Novatorum argutis reſellendis, qui Legatos de injuria ſedis apoſtolice ob primatum Dioſcorigi conqueſtos non fuiſſe, nec Ephesi, nec etiam in Concilio Chalcedonenſi, inconfultò aſſerunt. Non erat enim cur de negata ſibi conſeſſus prærogativa conquirentur, qui legationis ſuæ fidem facere non potuerunt. Intempeſtiva omnino fuiſſet de loco diſceptatio antequam de perſonarum conditione conſtaret. Hæc erat præjudicialis quæſtio; quam diſcuti noluit Dioſcorus, dilata literarum Leonis lectiōne. Itaque Legati de hac injuria (quæ gradum ſtruebat ad ſecundam quæſtionem de ordine conſeſſus) & Ephesi & Chalcedone gravibus verbis conqueſti ſunt. Quare in ipſo Concilij Chalcedonenſis exordio Legati Romani dixerunt ſe mandata habere, quibus eis præcipitur ne Dioſcorum in ſynodo conſidere patiantur. Interrogati autem à judicibus, quòd illi crimen impingerent, Lucentius unus ex illis reſpondit Dioſcoro reddendam eſſe rationem judicij ſui: *quia cum perſonam judicandi non haberet, præſumpſit, & ſynodum auſus eſt facere ſine auctoritate ſedis apoſtolice, quod nunquam factum eſt, nec fieri licet*. Hoc ergo flagitium admiferat Dioſcorus, quòd ſine ſedis apoſtolice auctoritate ſynodum Ephefinam

peregit, & in ea judicium exercuit, Eutychem reſtituendo, & Flavianum ceteroſque Episcopos damnando, ac ſi legitima fuiſſet illa ſynodus; cum tamen juxta veterem Eccleſie canonem non liceat ſynodum Oecumenicam celebrare abſque ſententia ſedis apoſtolice. Rite quidem indicta fuerat hæc ſynodus literis Theodoſij Imperatoris, evocato quoque Leone Summo Pontifice, ut ſuæ ſedis auctoritatem huic ſynodo adhiberet. Miſſorum Legatorum præſentia ut nihil deſideraretur ad plenum legitimèque Concilium celebrandum efficiebat; ſed Dioſcorigi impudenti verſutia deluſi vel potiùs repudiati ſunt. Itaque rectè de uſurpata cognitione ſynodali Dioſcorum objurgant Legati, eò quòd nondum rite conſtituta ſynodo & omnibus numeris perfecta judicium in ea ſynodicum exercuerit, vel potiùs omnia per tumultum, minas, & cædes peregerit.

V. Adduci ſolet à quibuſdam formula ſententiæ Paſchafini, qua videtur damnare eo nomine Dioſcorum, quòd primatum ſibi uſurpaverit in ſynodo Ephefina. Quòd tamen ad quæſtionem iſtam nullo pacto pertinet. Licèt enim ibi dicatur Dioſcorus *preſumens ſibi primatum*, Eutychem in communionem ſuſcepiffe, ex Græco contextu, ubi Dioſcorus *ἀυθεντικός* dicitur, vox illa primatus ſignificat eum omnia cum imperiò, non autem ordine & canonicè, ſive ἀρχολόγως, egiſſe, ſuſcepto Eutyche in communionem ſub ipſa Concilij initia, non expectatis ſynodi ſuffragiis. Quare verba illa abſunt ab exemplari illius ſententiæ quòd Episcopis Gallis Leo miſit: quæ ſanè non omiſiſſet, ſi ad contumeliam Romane ſedis ulciſcendam aliqua ratione referri potuiſſent.

## CAPVT VI.

## Synopsis.

I. Dioſcorigi præſumptio reſpreſſa in Concilio Chalcedonenſi. Reſtitutio Eutycheſis, & Flaviani damnatio, ingrata Leoni; qui ſynodum generalem in Italia celebrari poſtulavit à Theodoſio. Negat Theodoſius, actamen reſpondet curaturum ſe ne fides Concilij Niceni injuriam pateretur. Et Anatoliſium, Flaviani in ſede CP. ſucceſſorem, à Pontifice ſuſcipi contendit: qui negat id fieri poſſe, donec de fide Anatolij conſtet. Dein Legatos mittit ad Theodoſium, qui veram fidem docerent, & ſi qui contradictores eſſent, Concilium univerſale in Italia celebrari poſtulare. Verùm ante eorum adventum Theodoſius exceſſit è viâ: cui ſucceſſit Marcianus, à quo ſuſcepti ſunt.

II. Marcianus ſollicitus de celebrando Concilio in Oriente: quò Leonem accedere hortatur. Episcopi evocantur Nicæam ad Concilium generale, quòd Chalcedonenſi.

Concil. Chalced.  
Act. 1.

Act. 1. Conc.  
Chalced.